

8d



1. Wolff P. Christ. gottl. Frid. / diff. de
Chiun Et Remphan Lipsie 1741.
2. ——— diff. de divortio Iudaeorum
Lipsie 1739.
3. Wolff P. Christoph. / diff. de eo quod publi-
me est in his Nupis verbis Honertou
phrop. Lipsie 1735.
4. Wucherer P. Joh. Frid. / prerogiva theo-
logia dogmatica iend 1739.
5. Zeibich P. Car. Henr. / de Christo vero deo
Wittemb. 1741.
6. ——— diff. qua veres Zalmoth et scia Ma,
ex ^{nata} am nantur, Wittemb. 1739.
7. Zeibich / ^{Christoph. Henr.} ~~Henr.~~ ^{Henr.} ~~Henr.~~ pauli justificatorum.
Wittemb. 1738.
8. ——— diff. de divinito predicto et intellectus
dato miraculo obscurati solis, in emortua-
tem unigeniti diem, ut insigni demonstra-
tionis argumento Jesum crucifixum
fuisse verum Messiam, Wittemb. 1741.

9. Leibniz / Christoph. Henric. Diff. Sphoera Christiani
fontis Wittenb. 1740.
10. Diff. de vera anime anapeysei
11. Solus ex Evangelio. Wittenb. 1741.
Diff. de Gentiliis anapolutisai, futura
via praeventica Wittenb. 1739.
12. Diff. de usu formale qua interrogamus
infanter ante sacram Cotionem de fide, Wittenb.
13. Diff. de usu ^{1734.} loquendi frequentiori,
Wittenb. 1733.
14. Diff. Ecclesie Ministri, a patrono
solo minime ab officio removendum Wittenb.
15. Diff. de signo ^{1739.} Crucis, templis nostris
non eliminando Wittenb. 1735.
16. Diff. qua Ludovici de Dieu aphoris
mortheologicis refutat, Wittenb. 1738.
17. Diff. de admirando justitie ac
bonitatis Divine temperamento, Wittenb.
18. Diff. de dignitate ad vitam eter-
nam, ^{1739.} Wittenb. 1739.
19. Zeltner / Guili. Georgij Diff. de justifica-
tione particulari, Altorfi 1715.
20. Diff. de theologo suspicioso, Altorfi 1739.
21. Diff. de subiectione Jesu C. gloriose, Altorfi 1715.
22. Diff. exponens Evangelium tetragram-
maton e N. T. exulans, Altorfi 1712.

23. Zeltner s. Justi Georgij diff. de Scriptura
Sacra Divina sua luce radians Altorfi
1722..
24. — diff. qua preemium Jebusorum Castri
expugnati offeruntur, Altorfi 1729.
25. — diff. de absoluto Decreto Evangelico,
Altorfi 1725.
26. — diff. qua Dign. theologorum, Altorfi
1730.
27. — diff. qua Ecclesiam Evangelicam
non esse sectam ostenditur, Altorfi 1721
28. — diff. qua humilitas gloriosa Jesu
Christi, Judaeis feralis ostenditur Alti 1720.
29. — diff. merito in Baptismo Aposto-
lica ut sit magna perfusione instauranda
Altorfi 1720.
30. — diff. de munimento Capitis Eve,
mineri contra Angelos, Altorfi 1713.
31. — diff. de Gad et Moni hodieo,
rum judaeorum Digs, Altorfi 1715.
32. Ziegler s. Christ. Sam. diff. de serpenti
Cur ignis ex Num. Cap. XXI. jond
1727.
33. Zulich s. Fridem. Andrij diff. de Immanuel
venturo, Virginis filio, Jena 1740.

pa

COLLEGII
THEOLOGORVM
IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI
H. T.
DECANVS
IOHANN CASPAR
HAFERVNG,
SS. THEOL. DOCTOR EIVSDEMQUE P. P.
ET ALVMN. REG. ELECTORAL. EPHORVS,
ORDINIS SVI SENIOR
LECTVRIS
SALVTEM PLVRIMAM DICIT.

COLLEGI
THEOLOGORVM
IN
AGADIA VITIMBERGENS
II
DE CANVS
IOHANN CASPAR
HATFERVNG
SS. THEOL. DOCTOR ET S. THEOL. PROF.
ET ACADEM. LIB. P. THEOL. VITIMBERG.
ORDIN. VISELOR.
L E C T V R I S
S. THEOL. P. THEOL. VITIMBERG.





M

rum utique est, quod Petrus Allix, qui in
effatis Veteris Ecclesiae Iudaicae, contra Vni-
zarios, Messiae Deitatem per ipsa etiam
Rabbinorum testimonia tam masculè vindica-
uit, & ex Prophetarum Scriptis luculenter
demonstravit, eo absurditatis delabi potuerit,
ut statuerit: Deum rationes suas habuisse, cur
vaticinia V. T. de Filio suo, cum rebus aliis mixta, obscurauerit.
Sicut haec leguntur in eius libro, quem inscripsit: Reflexions sur
les Livres de l' Ecriture Sainte, pour etablir la verité de la Reli-
gion Chretienne, Part. II. L. I. c. 7. p. 67. seq. Vbi addit: *Harum*
rationum quasdam ad ipsius Messiae personam pertinuisse, ne diuer-
sae eius naturae, euidenter propositae, fidem amitterent, & chimaeri-
cae esse viderentur; Alias ad Iudaeos spectasse, qui parrem eorum,
quae de Messia praedicebantur, exequi debebant, quod non fecissent,
se tota Messiae historia aperte descripta fuisse. Prout haec citat
b. Grapius Theol. rec. controu. P. IV. p. 108. Horrendum au-
ditu est, quod Deus eam doctrinam, quae totius sacri codicis cen-
trum & apicem constituit, data opera tenebris inuoluerit, ut a pri-
moribus Iudaeorum sinistre intelligeretur, & ipsis in lapidem of-
fensionis cederet; quae tamen, quia in illa cardo salutis humanae
vertitur, clare utique & dilucide extare debet. Neque difficile
est, demonstrare, quod omnia, quae de Christo ad salutem cogni-
tu sunt necessaria, adeo clare & perspicue in Prophetarum scriptis
sint tradita, ut a nemine, qui *ἀνευ προηγουμένου* ea voluit, in dubi-
um vocari queant. Multo minus inde colligi potest, Deum haec
):(2 ex

ex instituto obscurasse, vt illa per hominum ignorantiam & errorem implerentur.

Agnoscentia autem sunt in doctrina de Christo quaedam *essentialia*, quae ab omnibus, qui salutem aeternam anhelant, scienda omnino; Sunt vicissim alia *circumstantialia*, quae citra dispendium salutis, saltem pro ratione temporis, ignorari possunt. Quantum est ad *illa*, nihil eorum desiderabit, qui eo consilio scrutatur Prophetias, vt Christum in illis inueniat. Quorsum Christus nos instigat, Ioh. V. 39. Quae autem ad *circumstantias* locorum, temporis & personarum, si haec paulo exquisitius & specialius spectentur, pertinet, illorum ignorantia tempore V. T. non poterat esse perniciofa, ad beatitudinem aspirantibus. Sed libet illa, quae necessario cognoscenda sunt, prius considerare, & ostendere, horum nihil in codice V. T. desiderari; deinceps & illa, quae minus tangunt salutem, intuebimur, & in *his* quidem diuersos claritatis gradus notabimus; quae in *istis* omni tempore fuit eadem & sibi perpetuo constans.

Et quidem, quod doctrina de Christi *persona, statibus & officii*, sit omnium temporum, & ab omnibus cognoscenda, facile nos perdocent, quae Symb. Athanas. a v. 28. usque ad 42. leguntur. Quae tandem his verbis obfignantur: *Haec est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, saluus esse non poterit.* Sed haec iam prolixius deducenda sunt. Vbi quidem ipsum nomen $\text{M}\text{C}\text{C}\text{C}$ Messias, si plenius explicetur, rem totam expediendi occasionem subministrat; prout illud de Christo adducitur 2 Sam. XXIII. 1. & Dan. IX. 25. Nam eo & persona & officium Christi in compendio sistitur. Verum vt res pateat luculentius, per partes ire placet, & singula sigillatim, duce Scriptura Prophetica, enarrare.

De *persona* filii Dei, qualis illa ab aeterno fuit, nempe *ἀείωνος*, satis diserte loquitur Pater, cum ait: *Filius meus es tu, hodie genui te.* Psalm. II, 7. Nempe in praesentissimo unicoque aeternitatis fluxu, vbi nihil praeteritum, nihil futurum, vel ante iacta mundi fundamenta, Mich. V. 2. vere proprieque participem te facio propriae meae essentiae, seu naturae. Ebr. I, 3. Vt haec interpretatur b. Geierus. $\text{ἐὼν}\text{ος}$ autem, vel compositam fore suo tempore hanc personam, & quidem per assumptionem humanitatis, satis

fatis declarat *πρωτευαγγέλιον*, Gen. III. 15. *Semen mulieris conteret caput serpentis.* Vbi vna tantum persona intelligitur; sed cuius vtraque natura facile ex descriptione elucescit. Nam semen mulieris quid aliud innuit, nisi hominis naturam? Contritio autem capitis serpentini, seu omnis consilii diabolici eversio, vtpote *ἀποτέλεσμα*, seu opus officiale regium, euidenter indicat diuinam naturam; vnde originaliter & formaliter huiusmodi opera procedunt. Siquidem ea est indoles *ἀποτελεσμαίων*, vt ab vna essentia produci nequeant; sed perpetuo duplicem eamque diuersissimam, requirant, ex quarum diuerso quidem, non tamen disiuncto, *ἐνεργήματι*, enascantur. Cuius rei documentum dedit, cum suo tempore proprio sanguine redemit Ecclesiam. Act. XX, 28. Sanguis loquitur de humanitate, cuius proprium est, sanguinem profundere; redemptio autem Ecclesiae de diuinitate, quae sola tantum habet virium, vt ex maledicto legis & potestate diaboli hominem eripere queat, & in libertatem vindicare. Quae qui diligenter meditatur, diffiteri non poterit, hoc oraculo *Θεάνθρωπον* describi; In primis si in subsidium vocauerit locum II. Sam. VII. 19. *Haec est lex hominis, qui est Deus Dominus.* Ad quae b. Dorscheus Pentadec. p. 534. ita commentatur: *Postquam coelesti responso intellexit (Dauides) ex posteris suis oriturum Messiam, ex ipsa descriptione Propbetica & illuminatione coelesti intelligit, eum fore Θεάνθρωπον. Itaque exclamat, haec est lex יהוה אדני האדם II. Sam. VII, 19. Vel, vti I. Paral. XVII, 17. exponitur: האדם המעלה יהוה אליהם, q. d. audui quidem a te, o Deus, promitti tibi filium, regni Israelitici haeredem: Sed insuper eminentior etiam promittitur filius, nempe homo ille excellentiae Iebouab Elobim, seu Messias Θεάνθρωπος, cuius typus & praefiguratio esse debet filius meus Salomo, &c. vid. Luther. Tom. II. X. Ienens. German. de vltim. verbis Dauidis.* Haec ille. Vbi simul plura videri possunt.

Succedit doctrina de *Statibus* Christi, & primo quidem de statu *exinantiōnis*, qui etiam in V. T. satis aperte est traditus. Quorsum spectat admiranda *conceptio*, de qua Ec. VII. 14. *Ecce, Virgo concipiet, & pariet filium, cuius nomen vocabis Immanuel.* Hanc conceptionem supernaturali virtute, & *ἐπελεύσει* Spiritus S. esse factam, Luc. I. 35. colligi potest, partim ex conditione matris, quae vocatur *העלמה*, *virgo illa*, & Matth. I. 23. *ἡ παρθένος*, quae diuinitus

nitus constituta est ad hoc, ut humano generi daret Redemptorem. Partim ex Matth. I. 20. vbi asseritur, quod embryo, in Maria conceptus, sit ex Spiritu S. Et subiicitur, hoc omne factum esse, ut impleveretur, quod praedictum sit per Prophetam. v. 22. Itaque & Prophetam praedixit, si non *ἄνθρωπος*, tamen *διὰ πνεύματος*, Messiam ex Spiritu S. concipiendum esse. Et, si homo nasci debet ex virgine, vel ex sola muliere, Gen. III. 15. i. e. absque viri opera, necesse est, id fieri supernaturali Dei virtute. c. Ier. XXXI. 22. Sequitur *natiuitas*, quae manifesta satis est exinde, quia virgo dicitur illum partu editura. Ef. VII. 14. Natiuitatem excipit *passio*, Pf. XVI. 2. 3. & quae in hac eminet, *derelictio*, Pf. IIX, 6. *Deficere eum fecisti paruum a Deo. Quod vel de Deo ipso potest accipi, quando in cruce clamabat Christus: Deus mi, Deus mi, quare me dereliquisti, Pf. XXII, 2. Vel de angelis, nomine אלהים saepe appellaris, qui etiam Christum parumper in passione dereliquerunt. Matth. XXVI, 53. Ait hic b. Tarnouius. Insecuta est mors, de qua Pf. XL. 8. 9. Christus ipse ait, quod, cum Deus sacrificio & munere non delectetur, ipse veniat, facturus voluntatem eius. Quae voluntas qualis fuerit, explicatur clarius Ef. LIII. 4. 5. Pf. XVI. 10. Ebr. X. 10. Videlicet, ut ipsemet sese immolaret, & vitam suam poneret. Ioh. X. 18. Denique exinanitionem clausit *sepultura*, qua Christus reuera terrae illatus fuit. Pf. XVI, 10. Et, sicut Ionas per triduum in ventre ceti fuit, Ion. II. 1. Ita & Christus per triduum *in uero corde terrae*, seu in ipsa terra existere debuit, Matth. XII. 40. Et hi sunt gradus exinanitionis, quos Christus perpeti debuit, ut pro nobis satisfaceret; & quos omnes vidimus in V. T. satis clare manifestatos esse.*

Neque minus perspicue de *exaltationis* Christi gradibus egerunt Prophetae; quod satis patet iis, qui ipsorum scripta diligentius voluunt. Generatim quidem de exaltatione dicitur Pf. CX. 7. *De torvente in via bibet, iocirca exaltabit caput.* H. e. triumphabit, instar athletae, vel iustatoris, aliquandiu oppressi, sed praeter spem tamen eluctantis iterum; Aut instar vrinatoris, periculose in flumine natantis, mireque tandem emergentis, vel instar dormientis, aut mortui, euigilantis. Danhauer. P. V. Laet. Cat. p. 1113. Speciatim autem de *descensu* ad inferos non finit dubitare illud: *Carprium duxit captiuitatem.* Pf. LXIIX. 19. Quod nihil est aliud, quam

quam dominium in inferos, ipsorumque principem, occupasse & exercere. *Resurrectionem* vero insinuat locus: *Non permittes, vt sanctus tuus videat corruptionem.* Pf. XVI. 10. Quae cum in sepulchro fieri soleat, indicatur, Christum ex sepulchro resurrecturum. Quorsum & spectat Hoseas XIII. 14. *Eripiam eos ex inferno, & a morte liberabo.* Quod qui praestat, utique ipse non potest morti succumbere. Vbi b. Lucas Osiander: *Dum mors Christum deuorauit, dum infernus eum excepit, amiserunt omnem suam vim erga credentes in Christum.* Itaque Christus passione & morte sua, suoque descensu ad inferos, mortem & infernum omnibus vere credentibus destruxit. De ascensione quid magis perspicue dici potuisset, quam illud Pf. XLVII. 6. *Ascendit Deus cum iubilo, & Dominus cum clangore buccinae.* Vbi loquitur Psaltes de ascensione Messiae, quae sequi debeat debellationem hostium, haereditatisque per eum acquisitionem: H. e. de exaltatione Filii Dei, hactenus exinaniti, quando idem non corpore modo eleuari debet a terris ad coelos, sed & super omnes coelos, accepta sessionis ad dexteram Dei gloria. Pf. LXIIX. 19. Eph. IV. 8. 9. Et de hac sessione ad dexteram Patris quid clarius dici potest, quam illud: *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Pf. CX. 1. Quae verba hunc habent sensum: Ordire nunc, mi Fili, secundum humanam naturam tuam, plenariam & incessans, diuinae atque infinitae virtutis, in ipsa incarnatione tibi communicatae, dominium in regno potentiae, gratiae & gloriae, illudque gere potenter, gratiose & gloriose. v. Koenig. Theol. Pos. P. III. §. 402. c. II. Sam. VII. 12. Dan. VII. 14. Luc. I. 33. Denique referri huc debet *extremum iudicium*, quo Christus maiestatem suam omnibus & singulis, angelis pariter atque hominibus, manifestabit, & iustissimo iudicio suo dabit vniuersis, quibus digni sunt. De quo Dan. VII. 13. 14. Act. XVII. 31. Vtrumque hunc Statum in V. T. descriptum esse, ad oculum testatur Petrus I. Epist. I. 11. *Spiritus Christi, qui in Prophetis erat, praenunciavit venturas in Christum afflictiones, & quae has secutururae essent, glorias.* Et Christus ipse testatur, haec ita fieri debuisset, Luc. XXIV. 26. 46.

Primarium in hac doctrina momentum constituit articulus de officio Christi, quod vt obiret, Filius Dei humanam naturam assumpsit, & huic diuinas vires communicauit. Quod & Prophetiae agno-

agnouerunt, & propterea diligenter tradiderunt, quae hic sciri sunt necessaria. Et primo quidem officium *Sacerdotale*, in quo salutis nostrae versatur cardo, inquit in Proteuangelio, Gen. III. 15. per admorsionem calcanei, a Christo sustinendam; quae exantlata morte constabat. Sunt autem duae partes officii Sacerdotalis, *satisfactio* scilicet, qua Christus agendo & patiendò legem impleuit pro nobis. Vt dicitur Ps. LXIX. 5. *Rependere cogor, quae non rapui.* Quod & Elaias testatur: *Multa correctionis nostrae ei imposta est, & liuore eius sanati sumus.* c. LIII. 5. Et *intercessio*, qua virtute satisfactionis suae confusus, pro nobis interpellat; vt bona quaeuis nobis acquirat, & mala auertat. Vt ibidem v. 12. asseritur: *Peccatum multorum tulit, & pro transgressoribus intercessit.* Quae vero Christus satisfactione & intercessione sua nobis acquisiuit, illa per *Propheticum* officium offert et confert. Quod Moses iam suo tempore praedixit: *Prophetam excitabo eis de medio fratrum suorum, sicut te: ponamque verba mea in os eius, loqueturque ad eos omnia, quae praecepero illi. Qui autem verba eius, quae loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam.* Deut. XIX. 18. 19. Quae verba de Christo agere, testis locupletissimus est Stephanus, Act. VII. 37. Et concinunt, quae leguntur Ps. XXII. 23. Prou. IIX. 22. Eccl. LXI. 1. & Iob. XXXIII. 23. Hoc officio Christus cum legem repurgauit, *παράκλησις πατροπαράδοτος* rescindendo, Matth. V. 22. sqq. tum Euangelium ex sinu Patris reuelauit. Ioh. I. 17. Idque non tantum *ἀνομιαν*, quamdiu in his terris versatus est; sed & mediante Apostolorum, illorumque successorum, ministerio. Tanquam *πρωτοβούτων ἡνίκα χριστός*, II. Cor. V. 20. Successit tandem *Regium* munus, tanquam dignitas, tantorum laborum victorem manens; cui quidem praclusit, quoties vel peccata remisit, vel miraculum aliquod patrauit; plena tamen accessio facta est in sessione ad dextram Patris. Et manifestabitur tandem in consummatione saeculi. *Singulariter*, ait Fridericus Burmannus in oeconomia veterum Part. I. p. 378. *hic obseruauit Augustinus, in iudiciis Israeliticis, ut & subsequentibus regibus, variis modis repraesentatum fuisse statum Christi & Ecclesiae, sicut verbi gratia priores fuerunt iudices, quos deinde exceperunt reges; ita primo iudicium exsequitur Christus, denuo regnum suum fundaturus & consummaturus.* Neque tantum in ty-
pis

pis repraesentatum fuit olim regnum Christi, sed & disertis praedictum verbis. Et quidem de regno potentiae vaticinatus est David Ps. 118. 6. 7. *Gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius.* De regno autem gratiae toties vaticinantur Prophetæ, quoties de vocandis gentibus praedicant, vt Os. 11. 23. I. Petr. 11. 10. Gen. XLIX. 10. Quoties autem gloriae regnum sit praedictum, non attinet enumerare. Videatur modo Dan. VII. 14. Phil. 11. 10. 11. 12. Ps. CX. 3. I. Cor. XV. 25. Et hoc regno non absens, sed maxime praesens, etiam secundum humanam naturam, fungitur. Vnde mystice cum fidelibus sese vnit, teste Cant. Canticorum. Os. 11. 19. Effundit Spiritum S. Ioël. 11. 28. Act. 11. 17. Liberat a lege Moisaica, Amos 1X. 11. 12. Act. XV. 15. et omni legis onere. Habac. 11. 4. Rom. I. 17.

Quae hactenus adducta, sunt omnium temporum & hominum, quicumque ad salutem animae contendunt. Omnes oportet scire & credere, Seruatorem suum esse Θεσνθρωπον, qui & diuina & humana habeat idiomata, & secundum humanam quoque naturam diuinis sit viribus instructus; Adeoque opera Θεσνθρωπιδε valeat praestare. Omnes oportet credere, hunc redemptorem suum in statu humili aliquandiu versatum, in eoque pro culpis & peccatis nostris satisfecisse, eaque officii sui parte defunctum, gloriam sempiternam esse ingressum. Nunc autem pro nobis intercedere, nos per Spiritum suum & ministerium verbi docere, & potenter, gratiose & gloriose regere. Quae breuiter complectitur Petrus Act. 11. 36. *Certo sciat roza domus Israel, quod Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis, Dominum & Christum fecerit.* Quae eatenus ad omnes saluandos spectant, quatenus de viroque Saluatoris statu & officio loquuntur.

Sunt tamen & alia multa, quae nec omnium temporum, neque hominum omnium censeari possunt; Sicut Deo visum est, ea, quae ad *circumstantias* pertinent, paulatim, & per gradus, manifestare. In initio quidem, post introductum peccatum, sufficebat scire, quod Saluator futurus sit semen mulieris, adeoque non Deus modo, sed & homo verus. Gen. III. 15. Postmodum & gens & familia designata est, vnde Messias sit proditurus; vt de Abrahamo, Gen. XII. 3. de Isaac, Gen. XXIX. 18. & de Iacobo, Gen. XXIX. 14. legimus, quod ex ipsorum semine benedictio in omnes gentes sit peruentura. Suc-

):(:(

ceden-

cedentibus seculis paulatim determinatus reuelatum est, ex qua familia ortum ducere Messias deberet. Nam Gen. XLIX. 10. nominatim inducitur tribus Iuda; Cumque populus Dei iam promissas occupasset terras, & in reipublicae formam coiuisset, regia Dauidis familia huic honori destinatur, vt orbi Reparatorem daret. 2 Sam. VII. 12. 13. 14. Cumque postmodum impietas inualuisset, Deumque permoueret, vt primo quidem decem tribus, quae haecenus sub regno Israelis continebantur, & deinceps etiam Iudam, in captiuitatem abduci pateretur, mira prouidentia factum est, vt, relictis caeteris inter externos populos, Iudaei & Beniamitae conseruarentur, & in patriam, vbi Christus nasci debebat, reducerentur. Quae de Libri Esdrae, Nehemiae & Estherae testantur; In quibus illud memoratu dignissimum est, quod, cum tota gens internecioni esset destinata, quod tamen cladi fuerint subducti, Esth. II X. 3. seqq. vt impleretur, quod praedixerat Ieremias, c. XXIII. 5. & XXX. 9. de germine Dauidis, mundo incoluitatem reddituro. Sub ipso interim captiuitatis Babylonicae interuallo Daniel c. IX. 25. *tempus* expressit, quo Christus esset appariturus in carne; Quod & b. Lutherus in Praefatione in hunc Prophetam erudite computat. Multo ante tamen, quam captiuitate affligeretur populus, praedictus fuit *locus*, vbi Christus nasci deberet, Ruth. I. 1. IV. 22. & Mich. V. 2. Id quod Sacerdotes & Scribae sub auspiciis N. T. promte monstrabant. Matth. II. 6. Post reditum vero in patriam, & solutam captiuitatem, Hagg. II. 6. 7. 9. monstrabat, *templum*, in quo exstruendum occupabantur, eo nomine praestantius fore Salomonaeo, quia in ipso exhibendus esset ille, qui omnibus gentibus esset solatio. Simul etiam claruit Malachias, Prophetarum vltimus, qui *Iohannem Baptistam* praedixit, qui digito monstraturus esset Christum, & baptismo ad officium publicum initiaturus. Mal. III. 1. Quem & Esaias multo ante notauerat. Es. XL. 3. Quibuscum conspirant, ad illos prouocantes, Scriptores N. T. Matth. III. 3. Marc. I. 3. Luc. III. 4. Iob. I. 23. Ex his apparet, quod, quo magis appropinquauit tempus *ελευθερωσεως* Filii Dei, eo etiam determinatius indicata fuerint, locus, familia & reliqua, quae visibilem Christi in terris conuersationem circumstant. Vbi negari non potest, quod in postremis illis temporum momentis plus claritatis appareat, quam in prioribus. Quae claritas tamen maior non ipsam essentiam doctrinae de Messia, sed eius tantum circumstantias spectat,

ſpectat, adeoque fidelibus; qui ſuperiore aetate vixerant, citra ſalutis diſpendium, denegari potuit. Viſum autem eſt ſapientiſſimo Numini, cum diurnitate expectationis, fides refrigeſceret, eam ſubinde maiore luminis acceſſione, excitare & conſeruare.

Huculque tamen nondum ſignatum fuerat *indiuuum* illud *humanae naturae*, quod Filius Dei ſibi vnire, & ad maiestatis diuinae poſſeſſionem & viſurpationem euehere veller; Sed haec lux Noui Teſtamenti periodo reſeruabatur. Nunc itaque ſatis aperte reuelatum eſt, quae mater, & quomodo, Chriſtum ſuſceperit; quo curante idem adoleuerit, quibuſcum conuerſatus ſit, & vbi locorum officium ſuum obierit, & diuinae virtutis documenta dederit. Cum itaque tanta lux nos circumfulgeat, non ſufficit, tantum ſcire, quae veteres, de vtraque Saluatoris natura, ſtatibus & officiis; ſed & ipſum humanae naturae indiuuum expreſſe cognoscendum eſt. Sicut & in Symbolo Apoſtolico conſitemur: *Credo in Ieſum Chriſtum, Filium Dei vnicum, Dominum noſtrum. Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto. Natus ex Maria virgine. Paſſus ſub Pontio Pilato; crucifixus, mortuus & ſepultus.* Quo ipſo diſtinctiorem de Chriſto conceptum habemus, quam Veteris Teſtamenti homines, qui quidem Dei Filium exacte ſciebant fore ſuum Redemptorem; de humana tamen natura, quae, & vnde illa ſit oritura, vagum adhuc conceptum gerebant. Cumque Deus dignatus ſit, gratiam ſuam eo vſque nobis teſtari, excuſari non poſſumus, ſi in his ignorantiam fouere, & veritatem negligere velimus. Quin potius explicitam hic ſcientiam & fidem requirit Deus. *Haec ſcripta ſunt, vt credatis, quod Ieſus ſit Chriſtus, Filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine ipſius.* Graeca *ἐν Πατρὶ ὁμογενὲς* ſonant: *ὁ ὡς ὁ πατὴρ ἐκ τοῦ ἁγίου, ὁ υἱὸς τῆς οὐσίας;* quod *hic Ieſus ſit ille Chriſtus, ille Filius Dei, in quem tamdiu ſperatiſtis.* Ioh. XX. 31. Et Act. II. 36. *Certo itaque ſciat tota domus Iſraël, quod hunc Ieſum, quem vos crucifixiſtis, Deus fecerit Chriſtum & Dominum.* Sique liberet reliqua, quae huc faciunt, loca conferre, appariturum eſſet, Apoſtolos in hoc maxime fuiſſe occupatos, vt demonſtrarent, Ieſum Nazarenum eſſe Chriſtum promiſſum & anxie expectatum Meſſiam. Proinde hodie neceſſarium eſt ſcitu & creditu, quod Ieſus Nazarenus ſit noſter Saluator; quia tam clare id reuelatum eſt, tamque crebro inculcatur, vt nemo poſſit ignorantia ſe excuſare. Praeterea

): () : (2

omnes

omnes characteres, qui in V. T. de Messia fuerunt propositi, siue clavis verbis, siue typicis, ita Iesu nostro competunt, vt nullis idoneis argumentis contrarium euinci queat. -

Manet ergo ratum, quod iam inde a tempore lapsus, eadem fidei in Christum obtinuerit ratio: Nam diuersae circumstantiae, quae Christo & eius reuelationi acciderunt, ipsum Christum, eiusque officium, non mutant. Vt proinde illud: *ἡμεῖς πιστεύομεν*, Eph. IV. 5. merito huc trahamus. Siquidem Esaias c. LIII. II. palam a fide in Christum salutem nostram suspendit, verbis: *Cognitione sui multos iustificabit iustus ille seruus, quorum iniquitates ipse portauit.* H. e. dum ipse cognoscitur, aut fidei corde apprehenditur, & applicatur. Semper autem credendum fuit, quod Christus sit *θεῶν ὁμοιωτός*, qui pro nostra salute humiliarit se, & post in maiestatis plenum usum sit euectus, eumque pro nobis satisfecisse, & quae ipse in nostram salutem vel egerit, vel passus sit, reuelasse, & demum maiestaticè imperare. Circumstantialia autem illa, quae ad tempus, aut locum, aut personas atinent; vt Christum eiusque beneficia non mutant, ita neque fidei substantialia mutare possunt. Hanc autem fidem solam esse salutarem, exinde aestimari facile potest, quia vnice illa satisfacti Dei iustitiae, & hominum defectus explet. Iustitiae quidem Dei satisfacti, cui offert eius meritum, quem solum, tanquam *ἰλασμοῦ*, I. Ioh. II. 2. vel *ἰλαστήριον*, Rom. III. 25. nobis donauit Deus, vt in ipso donaret omnia. Rom. IX. 32. Hominum autem defectus explet, quia totum *δικαίωμα τῶ νόμου*, Rom. IX. 4. in fideles confert. Iniurii contra fuerunt in Deum & propriam conscientiam *Pelagiani*, qui docuerunt, homines ante legem saluos factos esse per naturam, deinde per legem, postremo per Christum, vt memorat Augustinus Libr. II. contra II. Epist. Pelag. c. 21. Quando enim vnquam conscientia propriis factis, vel secundum naturam, vel secundum legem positivam praestitis, acquiescet? Et quando non potius inueniet, quod nobis, tanquam scelus admissum, obiectet? Nam & Christum pro solo exemplo habemus, quod intuentes, sequamur. Et quis persuaderi sibi patitur, Deum vel mutis operibus delectari; vel mutabilem esse, & modo hanc, modo aliam viuendi regulam statuere? Neque his saniora sunt, quae perhibent *Arminiani* Confess. c. X. p. 91. Et Confess. Apol. c. VII. p. 91. *Certum esse, quod locus nul-*
lus

lus sit, unde appareat, fidem in Iesum Christum, sub V. T. praeceptam fuisse aut viguisse. At annon satis manifestum est, fidem & praeceptam fuisse & viguisse, cum Act. XV. II. dicitur: *Per gratiam Domini Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi*, Patres nempe V. T. saluati sunt. Anne vero cuiquam potest esse verisimile, valuisse aliquid ad salutem, quod Deus non praeceperit, aut approbarit? Si cui hoc videbitur minus clarum, consulat locum Act. X. 43. *Huic, Christo, omnes Prophetiae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere, per nomen eius, omnem credentem in eum.* Vniuersus Prophetarum chorus idem valet, quod integra Scriptura V. T. quae, tanquam fundamentum salutis nostrae, proponitur, Eph. II. 20. quaeque ita tractanda est, vt concipiamus exinde fidem, qua in Christo eiusque merito recumbamus, certi, quod sic remissionem peccatorum consequamur, & simul haeredes aeternae beatitudinis recipiamur. Haec quo saepius meditamur, eo magis stimulamur ad meditanda Scripta Prophetica, vt fides nostra, ex ipsorum cum Apostolicis monumentis consensu, magis confirmetur, & prorsus inconcussa euadat.

Qua in studiorum parte cum indefessam & laudabilem huc dum operam posuerit Vir summe Reuerendus, Amplissimus atque Excellentissimus, Dominus *M. CHRISTIANVS FRIEDERICVS BAVER*, haecenus Friesdorfii in Comitatu Mansfeldico Ecclesiastes, & Dioeceseos Rammelburgensis Decanus, non sine diuinæ, quae vniuersa moderatur, prouidentiae ductu euenit, vt, in Academiam Vitembergensem, ad capeffendum Professoris Theologi munus, clementissime vocatus, supremos, quos Theologorum ordo impertiri solet, honores ambire possit. De cuius vitae studiorumque ratione, vt nonnulla, more consueto, exponamus, benefica Dei manus, quae a teneris ipsum duxit, sequentem suppeditat materiam. Natales debet *Noster* honestis parentibus, a quibus anno *MDCXCVI.* die *XXVII.* Octobris, in praedio, Hopfgarthen dicto, & in Misnia sito, procreatus subsequenti die sacro baptismatis lauacro initiandus est traditus. Patrem habuit Friedericum Bauerum, qui tum procurator rei domesticae in praedio memorato, postea Senator & census regii, seu rei sterirariae receptor, in ciuitate Geithensium constitutus est, vbi & anno *MDCXV.* pie obdormiuit. Mater fuit ei Esthera

): () : 3

Rosina

Rosina, M. Georgii Gütneri, Pastoris Roethauensis filia, anno MDCC XXXIII. beate defuncta. Vtrique parenti nihil magis curae cordique fuit, quam vt filius pie & frugaliter educaretur, & salutari literarum cognitione imbueretur. Itaque, ne quid otii aut temporis inutiliter efflueret, Geithae Schola oppidana ipsi frequentanda erat, & priuatae insuper informationi Domini Christiani Steutmanni, dexterrimi Reſtoris, credebatur. Positis hic feliciter literarum fundamentis, anno MDCC XII. in Grimmenſem ſcholam prouincialem miſſus eſt; in qua alma bonorum ingeniorum altrice & formatrice, id ſibi negotii datum cenſuit, vt pietati & eruditioni conſecratus, earum cultura ingenium ſuum exornaret; inſtitutione clariffimorum virorum, Domini M. Georgii Ermelii, Reſtoris, Domini M. Heinrici Auguſti Schumacheri, Conreſtoris, Domini M. Iohannis Auguſtini Egenolſii, collegae tertii, & Domini Samuelis Iacobi, uſus. His magiſtris probatiſſimis tantum profecit, vt non Latino ſolum & Graeco ſermone, ſed Hebraico etiam orationes publicas habere poſſet. Sub noui enim anni auſpiciu, in quem ſecundum Reformationis iubilaeum incidebat, orationem idiomate Ebraico, qua Ieſum cum Iofua contulit, recitauit. Eodem anno, praenuntia ualedictione publica, inde in Academiam Lipſienſem ſe contulit, ubi per ſeptennium plurima diuinae prouidentiae documenta expertus eſt. Grato adhuc recordatur animo, quam bene de ipſius ſalute, tam inſtitutione, quam commendatione, ſint meriti excellentes in Philoſophicis Profeſſores, Dn. Iohannes Schmidius, & Dn. L. Ludouicus Chriſtianus Crellius, cuius Magnifici filii purpura, accepta a b. parente beneficiam, non ſine voluptate, in memoriam ipſi reuocatur. Plurimum etiam ſe fateretur profeciſſe ex amore & ore Doctiſſimi Dn. Iohannis Chriſtiani Hebenſtreitii, nunc SS. Theologiae Doctore, linguaeque Hebraeae Profeſſoris publici, quocum conſobrinorum cognatione coniunctus, familiariffime vixit, eius conſilio & collegiis, in addiſcenda Philoſophia, maxime adiutus. In Theologicis autem b. Iohanni Schmidio & Oleario indiuiſus auditor adhaeſit, & prioris collegio Diſputatorio, in b. Neumanni Theologiam Aphoriſticam, per ſeptennium fere interfuit, nec non b. Telleri collegiis Diſputatoriis & Concionatoriis. Maximum vero in ultimo triennio fructum retulit, ex viri, eruditionis & ſamae celebritate

britate eminentissimi, Domini D. Salomonis Deylingii institutio-
 ne & patrocinio, cui proinde immensas se debere gratias *Noster*
 ingenue proficitur. Consecutus anno MDCCXX. d. XV. Febr.
 Lipsiae Magisteriales in Philosophia honores, die IIX. Maii dif-
 fertationem Philologicam, de Meichisedeco, quem *ἀνάρωγα, καὶ*
αὐτάρωγα Paulus Ebr. VII. 3. vocat, conscriptam, ut Praeses, defen-
 dit, Respondentis partes tunc sustinente Iohanne Christophoro
 Hebenstreitio, nunc Neostadiensium ad Orlam Superintendentende.
 Quo facto, in Disputationibus publicis frequenter deinde oppo-
 suit, & collegia privatissima, in iuuentutis Academicae commo-
 dum, habuit. Collegii etiam Philobiblici, sub praesidio b. Iohan-
 nis Cypriani habiti; & collegii Concionatorii maioris, quod in
 templo Paulino die lunae convenire solet, sodalis factus, tandem
 in numerum concionatorum vespertinorum in templo Paulino
 receptus est. Anno autem MDCCXXIV. diuinam plane cu-
 ram experiebatur, qua providente, a Perillustri atque Excellentissi-
 mo Domino, Domino Christiano Augusto, Libero Barone de
 Friesen, Regis Poloniarum, & Electoris Saxoniae, Generali mi-
 litiae praefecto, Domino haereditario Roethaviae, Cortae & Hei-
 dae, ut & possessore praefecturae Rammelburgensis, Domino,
 pia semper memoria recolendo, diuina ad obeundum munus Ec-
 clesiasticum in arce Rammelburgensi & Friesdorfii vocatione di-
 gnus censebatur. Hoc munere per septendecim annos defun-
 ctus, nunc diuinae adscribit gratiae, quod ex Regia indulgentia,
 ad ineundum Professionis Theologicae officium clementissime e-
 uocatus sit. Feret autem & Wittebergae diligentiae & eruditio-
 nis suae fructum, qui etiam in pago delitescens, de re literaria
 bene meritus, sequentia Scripta edidit. Anno MDCCXXX.
 publicatum ab ipso est scriptum de Certa Accentuationis He-
 braicae ratione, Germanico idiomate: *Die vernünftige Gewis-*
sißheit der Hebräischen Accentuation. De quo libro videantur no-
 nellae eruditorum Lipsienses, MDCCXXX. p. 429. Acta Eru-
 ditorum MDCCXXX. p. 505. & Annales Theol. Decennio 3.
 p. 714. Anno MDCCXXXII. ipso autore, proquit illustratus
 textus originalis libri Coheleth. De quo in continuata collectio-
 ne Veterum & Nouorum, anno MDCCXXXIII. p. 125. & 128.
 agitur. Debentur ipsi etiam continuatae dilucidationes difficulti-
 um

um locorum Vet. & Nou. Testam. quae sub Theophili Alethaei nomine, a tentamine LXXVI. vsque ad XCII. prodierunt. Edidit etiam septem Psalmos, in tempora belli selectos, anno MDCCXXXIV. Ad varicina, quae de Iesu, vt vero Messia, in Mose continentur, contra Clericum & Wertheimensẽ vindicanda, etiam se contulit, & tria specimina exhibuit, ex quibus ad consequendam professoris publici prouinciam non inodoneus est iudicatus.

Satis quidem is iam ornatus & promotus videtur, quem eruditio & vitae integritas; quem sua scripta & merita in Ecclesiam vniuersam; quem summorum Patronorum, quem amplissimum etiam munus cohonestant. Sunt tamen Candidato nostro grauissimae causae, quibus impulsus, a nostra etiam Facultate Theologica Licentiam, summos in Theologia honores consequendi sibi expetit. Admitit etiam noster ordo facile Virum, sibi, vt dictum est, commendatissimum, & specimina, quae ex more recepto a Candidato exiguntur, nullam ei exhibebant molestiam, qui iam Programmate de Psalmorum inscriptione *הַשְּׁמִרָה*, & subsecuta oratione inaugurali, nobis promittitudinem suam probauit. Ne quid autem, quod leges & Academiae nostrae mores ferunt, intermittatur, *cras*, Deo clementer adiuuante, in Auditorio Maiori solennem pro Licentia orationem praemittet, qua de *Elia*, *omnia instauraturo*, in *Iohanne Baptista exhibito*, ager; hoc pacto ad lectiones cursorias viam sibi communiturus. Quem vt Magificus Academiae Rector, reliquique Patres conscripti, Doctores item & Licentiati, Reuerendi Ecclesiae Ministri, Ordini Philosophorum Adscripti, & vniuersus ciuium nostrorum coetus, beneuole audire dignentur, Ordinis nostri nomine, etiam atque etiam inuitantur. P. P. Dom. VI. Trinit. MDCCXLI.


VITENBERGAE
PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELD!
ACADEMIAE A TYPIS.


ad 25 misse

AB 154546

X 2311881

12





Pa

COLLEGII
THEOLOGORVM

IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI

H. T.

DECANVS
IOHANN CASPAR
HAFERVNG,

SS. THEOL. DOCTOR EIVSDEMQUE P. P.
ET ALVMN. REG. ELECTORAL. EPHORVS,
ORDINIS SVI SENIOR

LECTVRIS

SALVTEM PLVRIMAM DICIT.

